

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

VI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

## V.

*S. D. Reverende vir & amice carissime!*

DEI adhuc beneficio in Ecclesiis harum regionum *ἀληθέα* sunt. Et ut diuturna sint, faciat filius DEI. De vestris à te aliquid expecto literarum. Salutem opto vobis omnibus. Reverendo D. Hedioni, Domino Jacobo Sturmio, & Joanni Sturmio. Nunc enim plura scribere non potui. Bene vale. Die 13. Maij.

Philippus Melanthon.

## VI.

S. D. A Glocero nostro cum rogarer, ut literas ad vos darem, Reverend<sup>e</sup> Domine Doctor, et si ægre ferebam, nihil esse, quod dignum vestrā prudentiā & eruditione scribere ad vos possem: Tamen amico & viro pio obsequi volui, fretus vestra humanitate & amicitia nostra, quæ etiam inanes literas æquo animo accipiet certo scio. Cupit autem M. Glocerus meo testimonio vobis fieri commendator, quem tamen scio à vobis jam ante diligi. Hic certè ita se gessit, ut carus multis fuerit, & docendo fideliter & feliciter egregium specimen præstantis ingenii & laudabilis profectus in studio artium linguarum, & doctrinæ cœlestis præbuerit. Quare optarim, eum per vos gubernatoribus Ecclesiistarum vestrarum commendari diligentius. Quod ad nostras res attinet, est Academiæ status mediocris, sed tamen adhuc semper ut fuit haec tenus, incertus, itque nunc eo magis, quod ad belli vicini incendium, quod jam ferme annum arsit, accedit nūc annonæ magna difficultas, & morborum initia, ejusmodi se ostendunt, quæ solent pestem plerumq; antecedere. De concilio nostri hoc concluserunt tandem, quod velint aliquos mittere. Sed certum nondum est, quos ablegaturi sint. Vellent parcere Domino Philippo, ituro haud dubie cum summo periculo, si invenirentur, quos ipsius loco possent in re tam ardua satis tuto substituere. Conscripta jam forma est confessionis, quam exhiberi harum Ecclesiistarum nomine, curabunt Synodo. Eam non hujus tantum ducatus superintendentes, sed aliarum etiam Ecclesiistarum pastores, docti & sapientes viri magno consensu approbarunt. Eam sunt exhibituri, si ad dictiōnem causæ suæ non admittentur, quod verendum est. Optandum esset omnes Ecclesiæ, quæ repugnatam Evangelii doctrinam profitentur, in certa forma confessionis consentire, ut fortius postea dimicare contra communes hostes Evangelii queant, non impediti aut debilitati intestinis distractionibus, quæ quantum haec tenus cursui Evangelii obstiterint, res ostend-

ostendit. Sed Deo erit curæ, ut Ecclesiarum consensus coalescat, & puritas doctrinæ cœlestis conservetur, cuius nos custodiam tueri & ornare omnibus officiis, agendo & patiendo decet. Bene & feliciter vale Reverende Domine Doctor, & tuos collegas omnes, Doctorem Sebaldum Medicum, M. Hizlerum, & alios reverenter meis verbis saluta. Postridie Bartolomæi 1551.

Paulus Eberus.

## VII.

S. D. Reverende vir & charissime frater!

POst iter vestrum de Synodo nullæ apud nos deliberationes fuerunt. Intelligimus etiam in urbe Tridento nondum inchoatos esse consessus, ut nominant. Sed vos hæc melius scire potestis, teque oro, ut cum erit occasio mihi scribas. De Parthenope vicina, spes est pacis; & nunc quidem sunt induciae. Adolescens cui hanc dedi Epistolam Josephus filius est Pastoris Ecclesiæ DEI, in oppido Mysorum Friburga Caspari Zenneri viri integerimi, & optime gubernantis Ecclesiam cui præst. Vult erudiri in vestra schola. Quare te valde oro, ut eum viro clarissimo D. Johanni Sturmio, & ceteris qui scholæ præfunt commendes. Et si quid erit, ubi & tuo aliquo officio ei opus erit, patris erga eum animum induito. Addit DEUS huic ætati angelos cœlestes custodes. Et nos angelorum officia in hoc genere imitari decet. Salutem opto vobis omnibus, & peto ut ad nos scribas. Bene vale, Pagellas mitto amicis, die 20.

*Plura scribere non potui.*

Philippus.

## VIII.

S. Clarissime Domine Doctor. Facile intelligo, Cæsar is inexpectatam fævitiam omnes vestras deliberationes de concilio turbasse. Nostras ferè in nihilum redegit. Sic ergo consuevit haec tenus impius Thubal ipsi obesse, & testos suos conatus destruere. Sed oportuit in eo compleri vulgare illud dictum, Hipocriseos finis est tyrannis. Hoc nomine aula nostra nimis certa & secura, cœpit nunc oculos aperire, & Hispanicas practicas noscere. Præludia ipsa Imperatoris placent, quæ sine dubio sequetur cruenta catastrophe. Interim Elector noster ablegavit viros politicos ad Cæsarem, & ad concilium, ut ab utroque salvum conductum pro nostris Theologis impetrarent,